

Notetur hic semel de ejusmodi exemplis, quæ propriè non sunt rerum Physicarum, ut Musica, ea ab Aristotele ideò adhiberi, tum ut ostendat modos hosce ita loquendi non de novo à se confictos, sed ex communi sermone & persuasione, etiam eorum qui Physicam nondum calleant, petitos, tum ne videretur idem per idem probare. Quicquid tamen sit. adeò faciliùs præscindendas occasiones cavillorum Rami, Francisci Patricii & similium, exempla à rebus naturalibus petita passim adjecimus.

V. In omnibus fiendi modis id ipsum, quod vel fieri, vel tale fieri dicitur, subiectum vocatur. T. 60.

VI. Aliquid ex aliquo fieri in iis quæ non remanent magis dicitur, quàm in iis quæ remanent. v.g. ex Musicæ ignaro Musicum, ex non calido calidum fieri rectè & propriè dicitur. Ex homine autem fieri Musicum, aut ex corpore calidum non ita propriè dicitur, quamvis interdum etiam in iis dicatur, ut ex ære fieri statuam. T. 61. In eo autem quod opponitur & non permanet, utrumque dici-